



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Ad Evangelium Feriæ. De eiectis è templo venditoribus & nummulariis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de eiectione à Templo Venditoribus & Nummulariis. Ioan. 2.

VIDE quæ ad idem prope Evangelium superius producta sunt, Feria 3. hebdomadæ 1. Quadragessimæ, unde hûc etiam aptius propter flagellum, quo hic expressè dicitur Dominus eiecisse vendentes, transferri potest hæc Veritas, quæ hiberetur in 1. parte, Feria 2. hebdomadæ sextæ post Epiphaniam: Quantò minus murmuramus, aut quantò magis tacemus flagellanti à Deo, tantò altius altissimum eius Dominium prædicamus.

Huic adjungi possunt sequentes.

Nisi te subdas Deo, Deum tibi subdis.

In 1. parte, Die 12. Januarii.

Nisi probè paratus sis ad adversa, nec ad ipsa prospera benè paratus es.

In 1. parte, Feria 6. hebdomada 5. post Epiphaniam.

Cui nimis adhuc durū videtur pati pro Christo, nimis etiam durum videtur, amare Christum.

In 1. parte, Dominica 4. Adventus, ubi & alia plures eiusmodi.

Hûc porò tota spectat hebdomada 2. Quadragessimæ, & proximè sequens, quæ dicitur Passionis.

FERIA TERTIA
CHRISTVS AB HERODE SPRETVS.
*Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo,
& illusit indutum veste alba. Luc. 3.*

VERITAS PRACTICA.

Quæ pro Christo sperni pudet, Christi pudet.

RATIO EST, Quia illum Christi pudet, qui præ pudore rejicit quæ Christus docuit, quæ libens tulit, & quæ ferenda voluit suo exemplo.

Sed quem pro Christo sperni pudet, præ pudore rejicit quæ Christus libens tulit, & quæ ferenda voluit suo exemplo.

Ergo quem sperni pudet, Christi pudet: Quod certè est omni opprobrio probrosius.

I. PUNCTUM.

CUM Judæi accusantes Christum, mentionem fecissent de Galilæa, quæ erat re-

gio à Judæa divisa, Pilatus audito hoc nomine interrogavit si homo Galilæus esset, & ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. Luc. 23.

Eò igitur adducitur Christus ligatus & stipatus satellitio publico, velut reus; Cogita quali cum ignominia, quali cum pudore & verecundia! Herodes autem viso Iesu garrius est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quod audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Hæc curiositas nihil fasti portendit. Interrogabat autem eum multis sermonibus: At ipse nihil illi respondebat.

Quid non poterat hîc dicere & facere Christi-